



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrum Misericordiae Palatium**

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi  
peristromatibus exornatum

**Gzaeus, Nicolaus**

**Augustae Trevirorum, 1618**

Ad diuites vt hoc diuinum seruent consilium: estote Misericordes c. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)

AD DIVITES VT HOC  
DIVINVM SERVENT CON-  
SILIVM, ESTOTE MISE-  
ricordes.

## CAPVT. XVII.

**R**eliētis itaque variarum interrogatio-  
num ambagibus, relicta inquisitione  
præcepti vel consilij vobis ea verba dicta  
credite, *Estote Misericordes*, munifici esto-  
te, beneuolos vos in vestris erogandis o-  
stendētes. Date quæ superflua sunt rescin-  
dentes à cordibus vestris à manibus vestris  
diuitiarū superfluitates, imitamini in hoc  
animalia bruta, volucres cœli, quæ quod  
superabundat in corpore nullatenus pati-  
untur. Ceruus cornua deserit, noua assu-  
mens, serpens pelle vetere exuitur, noua  
vestitur, arbor folia deijcit, noua verno tē-  
pore sumit; quanto magis ergo vos diuites  
opum vestrarū superfluitates derelinquere  
conuenit? Nec ignoratio innocios vos fa-  
ciet, nam & bona quæ possidetis non so-  
lum non vobis, vestroque vsui data esse sci-  
tis, sed etiam ea pauperibus distribuenda  
esse

esse cognoscitis. Vos Deus dispensator  
 pauperum fecit, quibus si nō diuidatis, in  
 delitatis iure apud eum accusari potestis.  
 Si Principis cuiusdam tutores effecti sub  
 stantiam eius omnem possideretis, eum ta  
 men penuria laborare permetteretis, nun  
 quid crudelitatis nomē vobis conueniret?  
 Attamen Iesus Christus totam vobis sub  
 stantiam suam concessit, quanta igitur pu  
 tatis reprehensione fore vos dignos si mē  
 bra Christi, pauperes inquam inopia labo  
 rauerint? Sit vobis in exemplum diues e  
 pulo qui quia Lazaro indigenti micās quae  
 cadebant de mensa sua denegauerat, in in  
 ferni penetralibus sepultus fuit. Hoc vo  
 bis ante oculos obuersetur exemplum, in  
 corde scribatur, in aedificijs vestris sculpa  
 tur, in manibus sit, siquidē illud quasi spe  
 culum toti mundo proponitur. Arbitra  
 mini Deum ideō vobis bona tribuisse, vt  
 pauperes munificos vos experiantur, & vt  
 benignitas vestra omnibus pateat? Erra  
 tis, totoque cœlo hallucinamini, si Deum  
 vobis diuitias ad voluptatum vestrarum  
 condimentum tribuisse putatis.

Nunquam Deus hunc in finem homini  
 bus commoda tribuit vt eis abutantur, sed  
 vt eis vtentes pauperib<sup>9</sup> superflua largiatur

verbis meis fidem non adhibetis? Astutia  
 credite diabolica est, qui vos terrenis diui-  
 tijs irretitos, supernis vult spoliare gaudijs,  
 quoniam Misericordiam odit cane peius &  
 angue quia Misericordiae expers factus est;  
 Huic huic fallaci ne credite, sed voces indi-  
 gentium pauperum clamores, pupillorum  
 vlulatus attendite dicentium, nostra sunt  
 quae possidetis, nostra est substantia qua glo-  
 riamini, qua superbitis. Lazarum praefori-  
 bus stantem Misericordiae oculo conspici-  
 te, ne vestras obturetis aures, nisi forte Iustitiam  
 Dei cupitis experiri. O vtinam, quae loquor  
 cordibus vestris infixae forent, vt ijs moti ter-  
 renarum diuitiarum curis postpositis ad coe-  
 lestia pergeretis! Vtinam vtinam thesau-  
 rorum efficaciam agnosceretis, quae non in  
 gazophylacijs vel in ararijs inuenitur, sed  
 quae in manibus pauperum & egentium,  
 crescit & inuenitur. Vtinam vos Ecclesiastici  
 agnosceretis non vestra vos, sed pauperum  
 bona possidere, quae nihilominus in vsu  
 Deo displicentes expenditis! Vtinam vos  
 o Reges & Principes, intelligeretis vobis in  
 Principatus concessione, specialem paupe-  
 rum, viduarum, orphanorum curam com-  
 missam esse, quos tamen contemnitis.

Vtinam agnoscerent Ciuitatqm Praepo-

E 4 <sup>fiti</sup>

fiti ideò sibi honorum culmina tributa fu-  
 isse, vt pauperes viduas protegant. Vtinam  
 duces exercituum ideò arma fumerent  
 pauperibus subueniant. Quibus nulla for-  
 tior, hoc merito armatura tribui posset.  
 Vtinam arbitraremini mercatores opulenti  
 Eleemosynas quas in vsus & sustentatione  
 pauperum expenditis infinitum vobis in  
 cœlis comparare thesaurum. Nec enim so-  
 lummodo temporalia dantibus, tempora-  
 lia augentur, sed etiam temporalia largien-  
 tibus Spiritualia, æterna, cœlestia compa-  
 rantur. Date igitur gratis, date beneuolè  
 quæ à Domino benigne & munifice acce-  
 pistis, date gratis, nam Eleemosyna vi ex-  
 torta, non Eleemosyna, sed extorsio dici  
 melius potest.

Paucis igitur vos monitos volui (o diui-  
 tes) quibus temporalium bonorum afflu-  
 entia suppetit, vt vos ad diuinarum acqui-  
 sitionem opum inducerem, & ne  
 ignari, sententiam immiseri-  
 cordiæ incurreretis.

CAL-